



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 188. Liber de imitatione Christi hoc anno a Thoma Kempensi  
compositus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV. A.C. 1441. Joannes Floquetius Conchi urbis Gu-  
bernator rursus Ebroicum Anglorum  
imperio subtraxit. Bellica hac expedi-  
tione prospere confecta, Carolus Gallia-  
rum Rex Lutetiam Parisiorum venit, ubi  
Carolus Andegavensis Regis Siciliæ fi-  
lius Mense Octobri Regi Franciæ sacra-  
mentum dixit, ut Cenomanensem Co-  
mitatum, quem ei Renatus natu ma-  
jor frater & Siciliæ Rex in partem  
hæreditariæ, ac Paternæ successione re-  
liquerat, clientelari nomine possideret.  
Peractis hisce solemnibus Carolus Parisiis  
morabatur, donec hyems appeteret, ubi  
comitante eum Delphino, Britanniam,  
Pictavium, & Santonam migravit, ut ha-  
scæ Regiones lustraret, subditorum mis-  
eriis levamen afferret, simulque militum  
petulantiam compesceret, & quorundam,  
qui in hisce Provinciis erant, Nobilium  
violentias cohiberet. Hoc eodem anno  
Richemundio Comiti, & Franciæ Con-  
nestabili fati erepta est uxor, quam Lu-  
dovico Aquitanniæ Duci, & Caroli VI.  
Filio antea junctam matrimonio sibi co-  
pulaverat.

## §. CLXXXVIII.

*Liber de imitatione Christi hoc anno  
a Thoma Kempensi compositus.*

Historicorum opinio est, Thomam a Kemp-  
pis

pis Canonicum Regularem in Monte Sæcul. XV.  
 S. Agnetis prope Zuollas seu Suvollam A. C. 1441.  
 professum, hoc anno librum illum uti-  
 litate ac pietate longe præstantissimum  
*de imitatione Christi* composuisse. Joannes  
 Buschus coævus auctor, & in eodem  
 monasterio cum Thoma conversatus, in  
 Historia Montis Sanctæ Agnetis testatur,  
 hunc pietatis studiis celebrem Canoni-  
 cum quatuor conscripsisse libros *de Imita-  
 tione Jesu Christi*. Profertur quoque  
 manucriptus Codex, hodie in Bi-  
 bliotheca Antwerpiensi Patrum Societa-  
 tis Jesu asservatus, cujus in fine hæc ver-  
 ba descripta leguntur: *Finitus & comple-  
 tus anno Domini millesimo quadringentesimo  
 quadragesimo primo per manus Fratris Tho-  
 mæ Kempis in Monte S. Agnetis prope  
 Zwol.* Necdum tamen horum verbo-  
 rum fide causam plene decisam esse di-  
 xeris; quid enim prohibet, quominus  
 verba ista Thomam Kempensem hujus li-  
 bri descriptorem, non vero Auctorem in-  
 dicent? longe majoris ponderis esse ar-  
 bitramur Joannis Buschi testimonium.  
 Non desunt tamen alii, qui hanc additio-  
 nem ejusdem Joannis Historiæ studiose  
 assutam fuisse affirmant. De cetero, Au-  
 ctorem libri *de Imitatione Christi* explora-  
 tum habere, exiguæ utilitatis est, majo-  
 ris vero ex sedula hujus libri vere aurei  
 lectio-

Sæcul. XV.  
A.C. 1441.

lectione copiosos fructus colligere. Plures sacri Ordines præclarum hunc Scriptorem inter Alumnos suos adolevit gloriati sunt, & hæc controversia non sine magna animorum contentione ultro citroque agitata est, non modice læsa Jesu Christi Charitate, quam tamen Auctor iste per integrum librum suum identidem inculcat.

*FINIS TOMI XXVII.*



INDEX